UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXXX.

§. II. An Major pars Capituli possit aliquid decernere, cum præjudicio minoris partis, de bonis, aut juribus spectantibus ad singulos de collegio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-61687

Visual Library

vincialia; & si compareant per se, vel per suos Procuratores, etiam ad tractatus admitti, maximè in illis negotiis, quæ ad ipsa Capitula pertinent (ut quod omnes, & singulos tangit, ab omnibus etiam approbetur) vocem tamen decisivam non habeant *c. Etiamsi membra 10. h. t.* cùm solis Episcopis conveniat, decidere, quæ in Capitulo Provinciali statuenda videbuntur.

TITULUS XI.

DE HIS QUÆ FIUNT à MAIORE PARTE CAPITULI.

§. I.

An, & qua ratione gesta à majore parte Capituli valeant?

AD actus à Capitulo gerendos non requiritur, ut totum Capitulum sive collegium consensum præstet, sed sufficere ordinariè, ut pars major Congregatorum, vocem decisivam habentium, consentiant (quod enim à majore parte Capituli decretum est, hoc à Capitulo decretum fuisse censetur. *L. quod major 19. ff. ad municip.* modò duæ partes eorum, qui adesse debent, volunt, & possunt, sint congregatæ) ex *c. Cùm in cunctis. 1. h. t.* colligitur, & quamvis ex hoc Capitulo etiam colligatur, quòd non tantùm major pars Capituli sufficiat, sed debeat etiam esse sanior (ab auctoritate, dignitate &c.) ordinariè tamen præsumitur, saniorem partem esse, ubi major pars Capituli est; possunt tamen alii pauciores, & minor pars se opponere, ex rationabili causa, ad impediendum Capitulare decretum, si videat majorem partem irrationabiliter, & in damnum Ecclesiæ procedere.

§. II.

An Major pars Capituli possit aliquid decernere, cum præjudicio minoris partis, de bonis, aut juribus spectantibus ad singulos de Collegio?

RESpondetur affirmativè, quòd nempe possit major, & sanior pars Capituli, unâ cum Episcopo, seu Prælato, quamvis minor pars contradicat, ob necessitatem, seu utilitatem Ecclesiæ disponere, ac decernere, non solùm de bonis, ac juribus ad singulos de collegio spectantibus, cum diminutione juris singulorum, si singuli jure illo gaudeant, ut membra illius Collegii, & hinc Pontifex in *c. Ex parte 4 h. t.* dicit, quòd possit Episcopus cum majore parte Capituli, etiam contradicente minore, cum diminutione reditum Ecclesiasticorum, ad singulos illius Collegij spectantium, portionem deputare ad fabricam Ecclesiæ, si necessitas hoc exigat, vel utilitas Ecclesiæ. Neque tamen extendi hæc Pontificis Constitutio debet, ad quodvis opus pium & extraneum, quasi verò Episcopus cum majore parte Ca-

Capituli statuere aliquid posset, in præjudicium & diminutionem reddituum ad singulos, quà tales, jure Collegii spectantium, in subsidium cujusvis operis pij, extranei; sicuti enim in illo casu, suæ Ecclesiæ, cujus fructibus gaudent, omnes succurrere tenentur, etiam cum aliqua suorum reddituum, quos ab Ecclesia percipiunt, diminutione, ita in hoc casu, ad extraneam talem pietatem concurrere, non tenentur, sed juxta *reg.* 29. *in 6.* quod omnes tangit, ab omnibus approbandum est.

§. III.

An possit ferri Interdictum locale ab Episcopo, sine consensu sui Capituli? & an ad negotia à Capitulo tractanda debeant vocari Canonici absentes?

DE jure quidem ferri interdictum locale non posse ab Episcopo, sine consensu sui Capituli, ex *c. quæsivit 2. h. t.* probatur, & tradit etiam Glossa hic in notatis, (plurium scilicet judicium audiendo ad censuræ talis ferendæ, quæ innocentes nonnunquam involvit, cautelam) nisi consuetudo legitima contra hunc Capituli consensum requirendum jam præscripserit, prout factum plures putant.

Neque etiam spectato jure communi, ordinariè, & generatim necessarium esse, ut ad tractatus quoslibet, aut alios similes Collegii actus, vocentur, aut expectentur absentes, *ex Glossa communiter recepta in c. 2. V. ipsorum. De testibus in 6.* habetur. Nisi aut electio Prælati fieri debeat, aut negotium valde arduum sit, vel magni momenti; aut agendum aliquid sit, quod in singulare præjudicium absentium tendat, vel in præjudicium singulorum, propria illorum bona concernens; aut talium ad certos actus etiam vocandorum sit consuetudo.

TITULUS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

§. I.

Quomodo beneficia sine diminutione sint conferenda?

QUòd non possit Collator beneficii, jus commune attendendo, reditus beneficii, aut partem eorum sibi retinere, neque de his retinendis cum eo, cui confert beneficium, sine Simoniæ vitio pacisci, tum ex *hujus Tit. rubrica, & unico illius capit.* patet, tum ex ipsa Simoniæ natura, quæ tum committitur, cùm pro spirituali (uti est collatio beneficij) temporale quid (quales sunt reditus) in pactum deducitur, Beneficii autem va-